

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

M. Tvllii Ciceronis Orationvm Pars ...

Cicero, Marcus Tullius

Coloniae Agrippinae, 1622

Accvsationis in c. verrem liber II. sev actio I.

[urn:nbn:de:bsz:31-116541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-116541)

LIBER I.

sa nostrum officium ac diligentiam probauerimus, haec qua dixi, retinere per Pop. Ro. incolumia ac salua posimus: si tātulum offensum titubatamq; fit, vt ea, quae singularim ac diu collecta sunt, vno tempore vniuersa perdamus. * Quapropter, Iudices, vestrum est deligere quem existimetis facillimè posse magnitudinem causa ac iudiciij sustinere fide, diligentia, consilio, autoritate. Vos si mihi Q. Cecilium anteposueritis, ego me dignitate superatum non arbitrabor: Popul. Roman. ne tam honestam, seueram, diligentemq; accusationem, neq; vobis placuisse, neq; ordini vestro placeve arbitretur, prouidet.

ACCVSATIONIS

IN C. VERREM LI.

BER II.

SEV ACTIO I.

ORATIO V.



QVOD erat optandum maximè, Iudices, & quod vnum ad inuidiam vestri ordinis infamiamq; iudiciorum sedandum maximè pertinebat, id non humano consilio, sed propè diuinitus datum atque oblatum vobis summo reip. tempore videtur.

INUE-

IN VERREM

Inueteravit enim iam opinio pernicioſa Rei, vobisquę periculofa, qua non modo Roma, ſed & apud exteras nationes omnium ſermone percrebuit: his iudicijs, qua nunc ſint, pecunioſum hominem, quamvis ſit uocens, neminem poſſe damnari.

2 * Nunc in ipſo discrimine ordinis iudiciorumq; veſtrorum, cum ſint parati, qui concionibus & legibus hanc inuidiam Senatus inflammare conentur, reus in iudicium adductus eſt. C. Verres, homo vita atq; factis, omnium iam opinione damnatus, pecunie magnitudine, ſua ſpe, ac prædicatione abſolutus. Hunc ego cauſa, Iudices, cum ſumma voluntate & expectatione Populi Rom. actor acceſſi, non ut augerem inuidiam ordinis, ſed ut infamia communis ſuccurrerem. adduxi enim hominem, in quo reconciliare exiſtimationem iudiciorum amiſſam, redire in gratiã cum populo Romano, ſatis facere exteris nationibus poſſetis: depeculatore arary, vexatorem Aſie, atq; Pamphylie, prædonem iuris urbani, labem atque perniciem prouincia Sicilia. *

3 De quo ſi vos ſeuere religioſeq; iudicaueritis, autoritas ea, qua in vobis remanere debet, hærebit. Sin iſtus ingentes diuitia iudiciorum religionem, veritatemq; perfregerint: ego hoc tamen aſſequar, ut iudicium potius Reip. quam aut reus iudicibus, aut accuſator reo deſuiſſe videatur. Equidem ut de me conſitear, Iudices, cum multa mihi à C. Verre inſidijs terra mariq; facta ſint, quas partim mea diligentia deuitorum, partim amicorum Studio, officioq; repulerim: nunquam tamen, neq; tantum periculum mihi adire

adire viſus ſum, me ipſo iudicio. * Nunc mea, cuius ſeruo vobis iudicium per vobis iudicium per infamia nefaria. Glabrio Pratorum nomi deno; Senatus iſti eſſe uocatus ſet, ſeruiſſent: ſatis eſſe poſſet, mihi lare, nihil tam uoluntaria poſſet. * Quod ſi tam eſſe uoluntaria poſſet: aliquid eſſe de cadit, quod regulatis ſultitia corripendo per iudicij poſſet fecit. Semel a primorum a me recens eſſet, in veteri ac dicitur pendum tempore diem in Sicilia inuenit iſte, quem poſſet lare: inſidijs ſua, q; ſecutus ſum. Brudatum quod ſiqua agunt a di

LIBER II.

& dire visus sum, neq; tant operè pertinui, vt nunc in
 ipso iudicio. * Neq; tantum me expectatio accusatio-
 nis meae, cōcur susq; tāta multitudinis, quib⁹ ego reb⁹
 vehementissimè perturbor, commouet, quātum istius
 insidiā nefariā, quas vno tempore mihi, vobis, M.
 Glabrioni Pratori, socijs, exteris nationibus, ordini,
 nomini deniq; Senatorio facere conatur, qui ita di-
 ctit at, is esse me uēdurn, qui quod ipsis solis satis es-
 set, surripuissent: se tantum rapuisse, vt id multis
 satis esse possit, nihil esse tam sanctum, quod nō vio-
 lare, nihil tam munitum, quod non expugnari pecu-
 nia possit. * Quod si quā audax est ad conandum,
 tam esset obscurus in agendo, fortasse aliqua in re
 nos aliquādo se felisset, verum hoc adhuc percōmo-
 dè cadit, quod cum incredibili eius audacia sin-
 gularis stultitia cōiuncta est. Nam vt apertus in
 corripendis pecunijs fuit, sic in spe corrumpendi
 iudicij perspicuā sua consilia, conatusq; omnibus
 fecit. Semel ait se in vitā pertinuisse, tum cum
 primum reus à me factus sit: quod cum è prouincia
 recens esset, inuidiaq; & infamia non recenti, sed
 veterè ac diuturna flagrarer, tū ad iudicium corrū-
 pendum tempus alienum offenderet. * Itaq; cum ego
 diem in Siciliā inquirendi perexiguā postulauisē,
 inuenit iste, qui sibi in Achaiam biduo breuiorem di-
 em postularet: non vt idem conficeret diligentia, &
 industria sua, quod ego meo labore & vigilijs con-
 secutus sum. Et enim ille Achaicus inquisitor ne
 Brundisium quidem peruenit: ego Siciliam totam
 quinquaginta diebus sic obij, vt omnium populorum,
 pri-

IN VERREM

priuatorumq; literas, iniuriasq; cognoscere: ut
 perspicuum cuius esse possit, hominem ab isto ques-
 tum esse, non qui reu suum adduceret, sed qui meū
 7 tempus obsideret. * Nunc homo audacissimus atq; a-
 mentissimus hoc cogitat: intelligit me ita paratum
 atq; instructum in iudicium venire, ut non modò in
 auribus vestris, sed in oculis omnium sua furti atq;
 flagitia depixurus sim. Videt Senatores multos esse
 testes audaciae suae: videt multos equites Romanos,
 frequentes praeterea ciues atque socios, quibus ipse
 insignes iniurias fecerit: videt etiam tot graues ab
 amicissimis ciuitatibus legationes cum publicis au-
 8 toritatibus ac testimonijs conuenisse. * Quae cum ita
 sint, vsque eò de omnibus bonis malè existimat: vsque
 eò Senatoria iudicia perdit a prostigat aq; esse ar-
 bitratur, ut hoc palam dicitur, non sine causa se cu-
 pidum pecunia fuisse, quomò tantum in pecunia praes-
 sidium experiatur esse: sese (id quod difficilimum fu-
 erit) tempus ipsum emisse iudicij sui, quo cetera facili-
 us emere possit: ut quoniam criminum vim subter-
 fugere nullo modo poterat, procellam temporis deu-
 9 tarer. * Quidà si nò modò in causa, verù etiã in aliquo
 honesto praesidio, aut in alicuius eloquentia aut gra-
 tia spem aliquam collocasset, profectò non hac omnia
 colligeret atq; aucuparetur: non vsque eò despice-
 ret, contemneretque ordinem Senatorium, ut arbi-
 tratu eius deligeretur ex Senatu: qui reus fieret:
 10 qui dum hic, quae opus essent, compararet, causam in-
 terea ante eum diceret. * Quibus egoribus quid iste
 speret, & quò animù intendat, facile perspicio: quã-
 obrem

obrem verò se confidat aliquid perficere posse hoc
 Glabriorem Praetore, & hoc consilio intelligere non
 possum. Vnum illud intelligo, quod Praetor in re-
 iectione iudicum iudicauit, ea spe istum fuisse pra-
 ditum, vt omnem rationem salutis in pecunia po-
 neret: hoc erepto presidio, vt nullam sibi rem ad-
 iument o fore arbitraretur. Etenim quod est inge-
 niū tantum? qua tanta facultas dicendi & co-
 pia, qua istius vitam tot vitij flagitijq; conuictam,
 iam pridem omnium voluntate radicioq; damnatā,
 aliqua ex parte possit defendere? Cuius vt adoles-
 centis maculas ignominiasq; praeteream, Quae stura
 primus gradus honoris, quid aliud habet in se, nisi
 Cn. Caesonē spoliatum à Quaestore suo pecunia pub-
 lica? nudatum & proditum Cōsulē? desertum exer-
 citū? relictam prouinciam? sortis necessitudinē, reli-
 gionemq; violatā? Cuius legatio exitium fuit Asia
 totius & Pamphyliae: quibus in prouincijs multas do-
 mos, plurimas vrbes, omnia sana depeculatus est:
 Cū in Cn. Dolabellam scelus suum illud pristinum
 renouauit et instaurauit Quaestorium: cū eum, cui
 legatus, & pro Quaestore fuisset, & in inuidiam suis
 maleficijs adduxit, & in ipsius periculis non solum
 deseruit, sed etiā oppugnauit ac prodidit. cuius Prae-
 tura vibana adium sacrarum fuit, publicorumq; spe-
 rum depopulatio: simul in iure dicendo bono-
 rum possessionumq; contra omnium instituta ad-
 dictio, & condonatio. Iam verò omnium vitiorum
 suorum plurima & maxima constituit monimen-
 ta & indicia in prouincia Sicilia: quam iste per tri-
 ennium

II

12. p. 2. c. 1. d. 1. v. 1.

IN VERREM

ennium ita vexavit ac perdidit, ut ea restituit in antiquum statum nullo modo possit: vix autem per multos annos, innocentesque Pratores aliqua ex parte recreari aliquando posse videatur. * Hoc pratore Siculi neque suas leges, neque nostra Senatus-consulta, neque communia iura tenuerunt: tantum quisque habet in Sicilia, quantum hominis avarissimi & libidinosisi aut imprudentiam subterfugit, aut satietati superfuit. Nulla res per triennium, nisi ad nutum istius iudicata est. nulla res tam tria cuiusquam atque; nihil a fuit, quae non ab eo, imperio istius ab iudicaretur. Innumerae pecuniae ex aratorum bonis novo nefarioque instituto coactae: socij fidelissimi in hostium numero existimati: cives Romani serulem in modum cruciati & necati: homines nocentissimi, propter pecuniam iudicio liberati: honestissimi atque integerrimi absentes rei facti: iudicia causa damnati atque eiectionis: portus minutissimi, maxima tutissimi atque; vrbes, piratis praeconibusque patefactae: nauta, militesque; Siculorum, socij nostri atque amici fame necati: classes optima atque opportunissima cum magna ignominia Pop. Rom. amissa & perditae. * Idem iste Prator monumenta antiquissima partim Regum locupletissimorum, quae illi ornamentis urbibus esse voluerunt, partim etiam nostrorum Imperatorum, quae victores civitatibus suis aut dederunt, aut tradiderunt, spoliavit, nudavitque omnia. Neque hoc solum in statuis publicis ornamentisque fecit, sed etiam delubra omnia sanctissimis religionibus consecrata depeculatus est.

Deum

Dei denique nulli
atque antiquo
stiprio vero, et
morare e pudore de
tem comemorand
ingez, suas integ
non licitum est. *
ut non cognita fuit
neminem, qui nome
eius neq; a comen
dam sit, ne multu
qua in istum impere
deitur haec multu
noscere ex me cau
recognoscere. Qua
perditu alta me
alicuius eloquent
auctoritate cuiusq;
liu seribus confiden
aga occultis hanc
hoc est hominum
me impedirent, q
proci sunt: simul
interea aliud qu
spem nunc habe
titeriam, iudic
res ab eo constri
mam e provinci
fata grandis pec
pauis que ad ex

VERREM

LIBER II.

Deū deniq; nullū Siculis, qui ei paulò magis affabr
atq; antiquo artificio factus videretur, reliquit. In
stupris verd, et flagitijs nefarias eius libidines cōme-
morare pudore deterreor: simul illorum calamita-
tem cōmemorando augere nolo, quibus liberos con-
iugesq; suas integras ab istius petulantia cōseruare
non licitum est. * At enim hac ita cōmissa sūt ab isto, 15
vt non cognita sint ab omnibus. Hominē esse arbitror
neminem, qui nomē istius audierit, quin facta quoq;
eius nefaria cōmemorare possit, vt mihi magis timē-
dum sit, ne multa crimina pratermittere, quam ne
qua in istum fingere existimer. Neq; enim mihi vi-
detur hac multitudo, qua ad audiendū cōuenit, cog-
noscere ex me causam voluisse: sed ea qua scit, mecū
recognoscere. Quae cum ita sint, iste homo anens ac
perditus alia mecū ratione pugnat, non id agitur, vt
alicuius eloquentiam mihi opponat: non gratia, non
autoritate cuiusquam, nō potentiam nititur: simulat
his se rebus cōsidere, sed video quid agat, neq; enim
agit occultissimē, proponit inania mihi nobilitatis,
hoc est hominum arrogantium nomina, qui non tam
me impediunt, quōd nobiles sunt, quā adiuuant q̄
noti sunt: simulat se eorum praesidio confidere, cum
interea aliud quiddam iamdiu machinetur. * Quam 16
spem nunc habeat in manibus, & quid moliat, bre-
uiter iam, Iudices, exponam: sed prius vt ab initio
res ab eo constituta sit, qua so cognoscite. Vt pri-
mum ē prouincia redijt, redemptio est huius iudicij
facta grandi pecunia: mansit in conditione, atque
pacto vsque ad eum finem, dum iudices reiecti sunt.

I

postea-

IN VERREM

- posteaquam reiectio iudicum facta est, quod et in
 sortitione, istius spem fortuna Populi Romani, & in
 reijciendis iudicibus mea diligentia istorum impu-
 dentiam vicerat, renunciata est tota cōditio.* Prae-
 17 clarè se res habebat: libelli nominum vestrorum con-
 silij, huius in manibus erant omnium, nulla nota,
 nullus color, nulla sordes videbantur his sententijs
 allini posse: cum istè repente ex alacri atq; lato, sic
 erat humilis, atq; demissus, ut non modò Populo Ro-
 sed etiam sibi ipse condemnatus videretur. Ecce au-
 tem repenti, his diebus paucis, Comitjs Consularibus
 factis, eadem illa vetera consilia pecunia maiore p-
 petuntur, eadem, vestra fane, fortunisq; omnium
 insidia per eosdem homines comparantur. Quares
 primo, iudices, ^{de culpa} pertinenti nobis argumento iudicioq;
 patefacta est: post aperto suspitionis introitu ad om-
 nia intima istorum consilia, sine vilo errore perue-
 18 nimus.* Nam vt Hortensius COS. designatus domum
 reducebatur è campo cum maxima frequētia à mid-
 ritudine: fit obuiam casu ei multitudi C. Curio,
 quem ego hominem honoris potius, quàm contume-
 lie causa nominatum volo. Etenim ea dicam, que il-
 le si commemorari noluisset, non tanto in conuentu,
 tam apertè, palamq; dixisset, que tamen à me pede-
 tentim cauteq; dicentur, vt & amicitia nostra,
 & dignitatis illius habita ratio esse intelligatur.
 19 * Videt ad ipsum fornicem Fabianum in turba Ver-
 rem: appellat hominem, & ei voce maxima vi-
 detur gratulatur: ipsi Hortensio, qui Consul e-
 rat factus, propinquis necessarijsq; eius, qui tum
 ad-

audierant, verbam nullum facit: cum hoc cōstitit, hōc
 amplexatur, hunc iubet sine cura esse. renuncio, in-
 quit, tibi, te hodiernis comitijs esse absolutum. Quod
 cum tam multi homines honestissimi audissent, sta-
 tim ad me defertur: immo verò, ut quisq; me vide-
 rat, narrabat. alijs illud indignū, alijs ridiculum vi-
 debatur: ridiculū ijs, qui istius causā in testiū fide,
 in criminū ratiōe, in iudiciū potestate, nō in comitijs
 Cōsularibus positā arbitrabantur: indignum ijs, qui
 alius perspiciebant, & hanc gratulationem ad iu-
 dicium corrūpendum spectare arbitrabantur. * Et
 enim sic ratiocinabantur, sic honestissimi homines
 inter se, & mecum loquebantur, aperte iam & per-
 spicue nulla esse iudicia: qui reus pridie iam ipse
 se condemnatum putabat, is, posteaquam defen-
 sor eius Consul est factus, absolvitur. Quid gūtur?
 quod tota Sicilia, quōd omnes Siculi, omnes ne-
 gotiatores, omnes publica priuataque litera Rō-
 mae sunt, nihilne id valebit? nihil inuito COS. de-
 signato. Quid? iudices non criminā, non testes, non
 estimationem Popul. Roman. sequentur? non om-
 nia in vnius potestate ac moderatione vertentur.
 Verè loquar, iudices, vehementer me hac res com-
 mouebat. optimus enim quisque ita loquebatur,
 Iste quidem tibi eripietur, sed nos non tenebimus iu-
 dicia diutius: etenim quis poterit Verre absoluto
 de transferendis iudicijs recusare? * Erat omnibus^{2E}
 molestum: neque eos tam istius perditū, subita Leti-
 tia, quam hominis amplissimi noua gratulatio com-
 mouebat. Cuius eam dissimulare me id molestè fer-
 re:

IN VERREM

ve: cupiebam animi dolorem vultu tegere, & taci-
 zurnitate celare. eccè autem illis ipsis diebus, cum
 Prætores designati sortirentur, & M. Metello ob-
 tignisset, ut is de pecunijs repetundis quæretet: nunci-
 ciatur mihi, tantam isti gratulationem esse factam,
 22 ut is quoque domum pueros mitteret, qui vxori sua
 nunciaret. * Sanè ne hæc quidem res mihi placebat:
 neque tantoperè quid in hac sorte metuendum mihi
 esset, intelligebam. vnum illud ex hominibus certis,
 ex quibus omnia comperi, reperiebam, fiscos conplu-
 res cum pecunia Siciliensi à quodam Senatore ad
 Equitem Romanum esse translatos: ex his quasi X.
 fiscos ad senatorem istum relictos esse comitorum
 nomine, ditiores omnium tribuum noctu ad istum
 vocatos. * Ex quibus quidam, qui se omnia mea
 23 causa facere debere arbitrabatur, eadem illa nocte
 ad me venit. demonstrat, quæ iste oratione vsus
 esset: commemorasse istum, quam liberaliter eos
 tractasset etiam antea, cum ipse Præturam petisset,
 & proximis Consularibus, Prætorijsq; comitijs: de-
 inde esse pollicitum quantum vellet pecuniæ, si me ad-
 dilitate deserissent, hoc alios negasse audere, alios
 respondisse, nõ potari id perficere posse: inuentum tanè
 esse foriem amicum ex eadem familia Q. Verrem
 Romilia, ex optima diuisorũ disciplina, patris istius
 discipulum atq; amicum, qui HS. quingentis militibus
 depositis id se perfecturum polliceretur: & fuisse ta-
 men nõnullos, qui se vnâ facturos esse dicerent. qua
 cū ita essent, sanè beneuolo animo me, ut magnopè-
 24 ræ cauere, præmonebat. * Sollicitabar rebus maximis
 vno,

vno, atq; eo prece-
 & his ipsi oppo-
 ditum: es quon-
 agere, que ad in-
 orum metu dete-
 propter iudicium
 ridus ratio non e-
 videbã, me hoc a-
 turum. * Atque
 tum esse audie,
 illum vt reuerent
 qui quomorem
 reuoluit. Inter e-
 terorum hoc au-
 trahatur, habere
 tens, cū filio bla-
 nos amicos,
 conuenire. Quo-
 sum, scit animum
 citati me de fi-
 dem pecunijs de-
 petitionis magis
 multo magis va-
 dico agere, & e-
 consilia inter ac-
 tione, res ita di-
 torem causa dicit
 M. Metellum an-
 non istum, sed e-
 amicum, antè dicit

LIBER II.

vno, atq; eo per exiguo tempore. urgebant comitia:
 & his ipsis oppugnabar grandi pecunia, iust ab at iu-
 dicium: ei quoq; negotio fisci Siciliense inuocabatur.
 agere, qua ad iudicium pertinebant liberè, comiti-
 orum metu deterrebar. petitioni toto animo seruire
 propter iudicium non licebat. minari deniq; diuiso-
 ribus ratio non erat, propterea quod eos intelligere
 videbã, me hoc iudicio districtũ atq; obligatum fu-
 rum. * Atque hoc ipso tempore Siculis denuntia-²⁵
 tum esse audio, primum ab Hortensio, domum ad
 illum ut venirent, Siculos sanè in eo liberos fuisse:
 qui quamobrem accerferentur cum intelligerent, nõ
 venissent: Interea comitia nostra, quorũ iste se, ut cæ-
 terorum hoc anno comitorum, dominum esse arbi-
 trabatur, haberi cœpta sunt. Cursare iste homo po-
 tens, cũ filio blando & gratioso circum tribus, pater-
 nos amicos, hoc est diuisores appellare omnes &
 conuenire. Quod cum esset intellectu & animadu-
 sum, fecit animo libentissimo Popul. Rom. ut cuius
 diuitia me de fide deducere non potuissent, ne eius-
 dem pecunijs de honore deicerer. * Posteaquam illa²⁶
 petitionis magna cura liberatus sum, animo cœpi
 multò magis vacuo ac soluto, nihil aliud nisi de iu-
 dicio agere, & cogitare. Reperio, Iudices, hæc ab istis
 consilia imita & cõstituta, ut quacũque opus esset ra-
 tione, res ita duceretur, ut apud M. Metellum Prae-
 torem causa diceretur: in eo esse hæc commoda: primum
 M. Metellum amicissimum, deinde Hortensium COS.
 non solum, sed etiam Q. Metellum, qui quam isti sit
 amicus, attēdite. dedit enim prerogatiuam sua volũ.

IN VERREM

24 ²⁴ tatis eiusmodi, ut isti pro prerogatiuis iam reddidisse videatur. * Ar me taciturnum tatis de rebus existimauistis? Et in tanto Reip. existimatione, me periculo cuiquam consulendum potius, quam officio & dignitati meo? Accersit alter COS. designatus Siculos, veniunt nonnulli, propterea quod Q. Metellus esset Prator in Sicilia: cum his ita loquitur, se Consulem esse, si patrem suum alterum Siciliam provinciam obtinere, alterum esse quaesitum de pecunijs repetundis, Verrine noceri possit multis rationibus esse prouisum. * Quid est quaeso, Metelle, iudicium corrumpere, si hoc non est testes, praesertim Siculos, timidos homines & afflictos, non solum auctoritate deterrere, sed etiam consulari metu, & duorum Pratorum potestate? Quid faceres pro homine innocente & propinquo, cui propter hominem perditissimum atque alienissimum de officio ac dignitate decedisset committis, ut quod ille dicitur alicui quate ignorat, verum esse videatur? * Na hoc Verrem dicere aiebant: te non fato, ut ceteros ex vestra familia, sed opera sua Consulem factum. Duo igitur COSS. & quaesitor erunt ex illius voluntate, non solum effugemus, inquit, hominem in quarendo nimium diligentem, nimium seruientem populi existimationi, M. Glabrignem: accedet nobis etiam illud, iudex est M. Cesonius Collega nostri accusatoris, homo in rebus iudicandis spectatus & cognitus: quem minime expediat esse in ego consilio, quod conemur aliqua ratione corrumpere: propterea quod iam antea, cum iudex in humano consilio fuisset, turpissimum illud

facit.

faciem non solu
 dum potestati
 bimus. * Q. Ma
 uerissimum atq
 Pl. tum erant
 in dextris &
 est Noni Decem
 illa & que tri fan
 familia tum ad
 uerissima, Co.
 & diligencia. ar
 res sunt de signat
 sortitorem etiam
 hinc ipse quaest
 Lau. & Pratore
 magnis accus
 itationem ad
 * Nonna sunt ho
 pitiu. hunc dicit
 sunt ante ludos
 est. hi ludos die
 nudo Romani es
 diebus interpo
 bis dicitur erant
 se doctores
 ludos. Viciu
 eundem quod
 futuri sunt.
 rim in egr. an
 7 emira que

facinus non solum grauitertulit, sed etiam in-
 medium protulit. hunc iudicem ex Cal. Ian. non habe-
 bimus. * Q Manlium, & Q Cornificium duos se-
 uerissimos atque integerrimos iudices, quod Trib.
 Pl. tum erunt, iudices non habebimus. P. Sulpitius
 index tristis & integer magistratum in eam necesse
 est Nonis Decembr. M. Crepereius ex acerissima
 illa Equestri familia & disciplina, L. Casius ex
 familia tum ad ceteras res, tum ad iudicandum se-
 uerissima, Cn. Tremellus homo summa religione,
 & diligentia, tres hi homines veteres Trib. milita-
 res sunt designati, ex Cal. Ian. non iudicabunt. Sub-
 sortiemur etiam in M. Metelli locum, quoniam is
 huic ipsi quaestioni praefuturus est. Ita secundum Cal.
 Ian. & Praetore, & prope toto consilio commutato,
 magnas accusatoris minas magnamque iudicij expe-
 ctationem ad nostrum arbitrium libidineque eludemus.
 * Nonna sunt hodie Sextiles. hora nona conuenire co-
 pistis. hunc diem iam ne numerant quidem. Decem dies
 sunt ante ludos votiuos, quos Cn. Pompeius facturus
 est. hi ludi dies quindecim auferent: deinde conti-
 nud Romani consequentur. Ita prope quadraginta
 diebus interpositis, tum denique se ad ea, quae a no-
 bis dicta erunt, responsuros esse arbitrantur deinde
 se ducturos & dicendo & accusando facile ad
 ludos Victoriae cum his plebeios esse coniunctos, se-
 cundum quos aut nulli, aut pauci dies ad agendum
 futuri sunt. ita defessa ac refrigerata accusatione
 rem integram ad M. Metellum Praetorem esse
 venturam quem ego hominem si eius fidei diffusus es-
 sem,

IN VERREM

sem, iudicem non retinuissem. * Nunc tamen eo animo sum, ut eo iudice quam Prætorē hanc rem transigi malim: & iurato suam, quam iniurato aliorum tabellas committere. Nunc ego, iudices, iam vos consulo, quid mihi faciendum putetis. id enim consilij mihi profectō taciti dabitur, quod egomet mihi necessariō capiendum intelligo. Si utar ad dicendum meo legitimo tempore, mei laboris, industria, diligentiaque capiam fructum: & ex accusatione perficiam, ut nemo unquam post hominum memoriam paratior, vigilantior, compositior ad iudicium venisse videatur. sed in hac laude industria mea, reus ne elabatur summum periculum est. Quid est igitur, quod fieri possit? non obscurum opinor, neque absconditum. * fructum istum laudis, qui ex perpetua oratione percipi potuit. in alia tempora referuimus: nunc hominem tabulis, testibus privatis publicisque, literis, autoritatibusque accusamus. Res omnis mihi tecum erit, Hortensi: dicam aperte, si te mecum dicendo, ac diluendis criminibus in hac causa contendere putarem, ego quoque in accusando, atque in explicandis criminibus operam consumerem. Nunc quoniam pugnare contra me institisti, non tam ex tua natura, quam existis tempore & causa, malitiosē necesse est istiusmodi rationi aliquo consilio obistere. * Tu ratio est, ut secundū binos ludos mihi respondere incipias: mea, ut ante primos ludos comperēdinem: ita fiet ut tua ista ratio existimeretur astuta, meum hoc consiliū necessariū. Verum id quod institueram dicere, mihi rem tecum

cum esse, hinc
rum rogatu
existimarem,
exilium tacerē,
tū suscepio
quo me in Re
fer. * Nā illud
tūq; meo videb
iudicio condem
bila potest. &
quibus dicitur
vati causa in
te omnia domi
deleat: & san
sua neq; pudē
stria in odium
antur: hoc me
onus, & mihi per
quo omnes per
re. * Quoniam te
audacia premitt
profitear hinc ge
satorum odium
hoc mihi sumo,
mogi strau,
Rom ex Cal. La
bus improbis vol
dam, amplissim
neq; pedico, ant
tempore, aut acc

LIBER II.

cum esse, huiusmodi est. Ego cū hanc causam Siculo-
 rum rogatu recepissē, idē mihi amplū & praeclarū
 existimāsem, eos velle mea fidei diligentiaq; peri-
 culum tacere, qui innocentie abstinentiaq; fecissēt.
 tū suscepto negotio maius mihi quiddā proposui, in
 quo meā in Remp. voluntatem Po. R. perspicere pos-
 set. * Nā illud mihi nequaquā dignū industria, cona. 3
 tuq; meo videbatur, istū à me in iudiciū iā omniū
 iudicio condemnatum vocari, nisi ista tua intolerabi-
 lis potētia. & ea cupiditas, qua per hosce annos in
 quibusdā iudicijs usus es, etiā in istius hominis despe-
 rata causa interponeretur. Nunc verd, quoniam hac
 re omnis dominatio, regnumq; iudiciorum tātoperē
 delectat: & sunt homines, quos libidinis, infamiaq;
 sua neq; pudeat, neque tadeat, qui quasi de indu-
 stria in odium offensionemq; Pop. Rom. irruere vide-
 antur: hoc me profiteor suscepisse, magnum fortasse
 onus, & mihi periculosum, veruntamen dignum in
 quo omnes veruos atatis industriae, mea contendere.
 * Quoniam totus ordo paucorum improbitate & ^{Ruatorum} 36 ^{urdo}
 audacia premitur, & vrgetur infamia iudiciorum,
 profiteor huic generi hominum me inimicum, accu-
 satores odiosum, astiduum, acerbum aduersarium.
 hoc mihi sumo, hoc mihi depono, quod & agam in
 magistratu, quod & agam ex eo loco, ex quo me Po.
 Rom. ex Cal. Ian. secum agere de Rep. ac de homini-
 bus improbis voluit. hoc munus adlitis mea Po.
 Rom. amplissimum pulcherrimumq; polliceor. mo-
 neo, praedico, antè denuncio, qui aut deponere, aut
 recipere, aut accipere, aut polliceri, aut interpretes

IN VERREM

corrumpendi iudicij solent esse: quique ad hanc rem
 aut potentiam, aut impudentiam suam profecti sunt,
 abstineant in hoc iudicio manus animosque ab hoc scelere
 nefario. * Erit tum Consul Hortensius cum summo imperio,
 37 & potestate: ego autem Aedilis, hoc est paulo
 amplius quam priuatus. Tamen hac huiusmodi res est,
 quam me acturum esse polliceor, ita Pop. Rom. grata atque
 iucunda, ut ipse COS. in hac causa pro me minus, etiam si fieri
 possit, quam priuatus esse videatur. omnia non modo
 commemorabuntur, sed etiam expositis certis rebus
 agentur, que intra decem annos, postquam iudicia ad
 Senatum translata sunt, in rebus iudicandis nefarie
 flagitiosaque facta sunt. * Cognoscet ex me Pop. Rom. quid sit,
 38 quam ob rem cum Equester ordo iudicaret annos prope
 quingenta continuos, nullo iudice Equit. R. iudicante,
 ne tenuissima quidem suspicio acceptae pecuniae ob rem
 iudicandam constituta sit: quid sit, quod iudicij ad
 Senatorium ordinem transjatis, sublatamque Po. Ro. in
 vnumquemque nostrorum potestate, Q. Calidius damnatus
 dixerit, minoris HS XXXM. Praetorium hominem honeste
 non posse damnari quid sit, quod P. Sepsimio Senatore
 damnato Q. Hortensio Praetore de pecunijs repetundis,
 39 lis estimata sit eo nomine, quod ille ob rem iudicandam
 pecuniam accepisset. * quod in C. Herennio, quod in C.
 Popilio Senatoribus, qui ambo peculatus damnati sunt,
 quod in M. Atilio, qui de maiestate damnatus est,
 hoc planum factum est, eos pecuniam ob rem iudicandam
 accepisse, quod inuenti sunt Senatores, qui C. Verre Pr.
 urbano,

(for-

fortiente, exte
 sa onderen
 iudex esset, in
 peret, quam
 vi reum dam
 ignominiam
 var hoc fallu
 rius ordo iud
 bonum scru
 gentes suerq
 de animo for
 tellexero simi
 comi sicut an
 possem. C. Ver
 dixisse, se ha
 proniciam
 vere. sed ita
 bium habere
 se ante quatu
 patrum & de
 berimum qu
 bus re serua
 dicere, quod
 gendum und
 menter Pe
 rri nationes
 rent, vi lex
 leretur. si e
 quaque abla
 sui satis esse

LIBER II.

fortiente, exiret in eum reum, quem incognita causa
 condemnaret, quod inuentus est Senator, qui cum
 iudex esset, in eodem iudicio ab reo pecuniam acci-
 peret, quam iudicibus diuideret, & ab accusatore,
 ut reum damnaret. * Iam verò quomodo illam labem, 4^a
 ignominiam, calamitatemq; totius ordinis conque-
 rar? hoc factum esse in hac ciuitate, cum Senato-
 rius ordo iudicaret, ut discoloribus signis, iuratorū
 boninum sententia notarentur? hac omnia me dili-
 genter seuerèq; acturum esse polliceor. Quo me tan-
 dē animo fore putetis, si quid in hoc ipso iudicio in-
 tellexero simili aliquaratione esse violatum atque
 commissum? cum praesertim planū facere multis testibus
 possim, C. Verrem in Sicilia multis audientibus sapē
 dixisse, se habere hominem potentem, cuius fiducia
 prouinciam spoliaret: neq; sibi soli pecuniam qua-
 rere, sed ita triēnium illud Praetura Siciliae distri-
 butum habere, ut secum praclarè agi diceret, si vni-
 us anni quaestum in rem suam conuerteret, alterum
 patronis & defensoribus suis traderet, tertium illum v-
 berrimum quaestuosissimumq; annum totum iudici-
 bus reseruaret. * Ex quo mihi venit in mentem illud 4^a
 dicere, quod apud M. Glabronem nuper cum in re-
 giciendis iudicibus commemorassem, in illexi vehe-
 menter Pop. Rom. commoueri: me arbitrari fore,
 uti nationes externa Legatos ad Pop. Rom. mitte-
 rent, ut lex de pecunijs repetundis iudiciumq; tol-
 leretur. si enim iudicia nulla sint, tantum vnum-
 quenque ablaturum putant, quantum sibi ac liberis
 suis satis esse arbitretur. Nunc quod in eiusmodi iu-
 di-

IN VERREM

dicia sunt, tantum vnumquemq̄, auferre, quantum
 sibi, patronis, aduocatis, Pratoribus, iudicibus satis
 futurum sit. hoc profectō infinitum esse: se auarissi-
 mi hominis cupiditati satisfacere posse, nocentissi-
 ma victoria non posse. * Q. commemoranda iudicia,
 præclarãq; existimationē nostri ordinis, cū socij P.
 Ro. iudicia de pecunijs reperundis fieri nolunt, quæ
 à maioribus nostris sociorum causa comparata sunt,
 An iste vnquam de se bonam spem habuisset, nisi de
 vobis malam opinionem animo imbibisset? Quo ma-
 iore etiam si fieri potest, apud vos odio esse debet,
 43 quàm est apud Pop. Rom. cum in auaritia, scelere,
 periurio vos sui similes esse arbitraretur. * Cui loco
 per deos immortales, iudices, cōsulite ac providere,
 moneo, prædicoq; id quod intelligo tempus opportu-
 nissimum nobis hoc diuinitus datum esse, vt odio, in-
 uidia, infamia, turpitudine totum ordinem liberet-
 tis, nulla in iudicijs seueritas, nulla religio, nulla de-
 nig, iam existimantur esse iudicia. itaque à Pop.
 Rom. contemnimur, despiciuntur, graui diuturna q̄
 44 iam flagramus infamia. * Neque enim vllam aliam
 ob causam Populus Romanus tribunitiam potestatem
 tanto studio requisit: quã cum poscebat, verbo
 illam poscere videbatur, re vera iudicia poscebat.
 Neque hoc Q. Catulū hominem sapientissimū atque
 amplissimum fugit, qui Cn. Pompeio viro fortissimo
 & clarissimo de tribunitia potestate referente, cū
 esset sententiam rogatus, hoc initio est summa cum
 autoritate vsus, Patres conscriptos iudicia malè &
 flagitiosè trueri, quod si in rebus iudicandis Pop. Ro.
 existima-

existimationi sa-
 bonam fuisse
 vos iste deus
 ad vltim COS.
 xime expectari
 potestatem refi-
 grata concionu-
 cione cum dissi-
 ciat, iudicia aut
 se prouidere ac
 sed maximo clau-
 tatiem. * Nunc aut
 quemadmodum
 nenda religione
 adhuc post legem
 tenuissimum et
 precludant, tar-
 bent. Nulla est a-
 mo est, qui aut p-
 est iudicium, im-
 iudicabit in ho-
 toribus vti sit an-
 sumusque d'ina-
 homine nihil si-
 pecuniam: v-
 quaterpissima
 gnatione, nō al-
 diuiri vitio, tot
 existimabantur
 et, cuiusmodi re-

existimationi satisfacere voluissent, non tantopere
 homines fuisse tribunitiam potestatem desideratu-
 ros. * Ipse denique Cn. Pompeius, cum primū cōcionē 45
 ad urbem COS. designatus habuit, ubi, id quod ma-
 ximè expectari videbatur, ostendit se tribunitiam
 potestatem restitutum, factus est in eo strepitus, &
 gratā concionis admurmuratio. Idem in eadē con-
 cione cum dixisset populus atque esse provin-
 cias, iudicia autem turpia & flagitiosa fieri, ei rei
 se providere ac consulere velle: tū verò nō strepitu,
 sed maximo clamore suā Pop. Rom. significavit volū-
 tatem. * Nūc autē homines in speculū sunt, obseruāt 46
 quemadmodum se vnusquisque vestrū gerat in reti-
 nenda religione, conseruandūque legibus: vident
 adhuc post legem tribunitiam vnū Senatorem vel
 tenuissimum esse damnatum. quod tametsi non re-
 prehendant, tamen magnoperè quod laudēt, nō ha-
 bent. Nulla est enim laus, ibi esse integrum, ubi ne-
 mo est, qui aut possit, aut conetur corrumpere. * Hoc 47
 est iudicium, in quo vos de reo, Pop. Rom. de vobis
 iudicabit: in hoc homine istatuetur, possitne Sena-
 toribus iudicantibus, homo nocentissimus perniciosiss-
 simusque dānari. Deinde est huiusmodi reus, in quo
 homine nihil sit, prater summā peccata, maximāque
 pecuniam: vt si liberatus sit, nulla alia suspitio, nisi ea
 qua turpissima est, residere possit. non gratia, nō co-
 gnatione, nō alijs recte factis, nō denique aliquo me-
 diocri vitio, tot tantaque eius vitia subleuata esse
 existimabuntur. * Postremò ego causā sic agā, iudi- 48
 ces, eiusmodi res, ita notas, ita testas, ita magnas,

IN VERRÈM

ita manifestas proferam, ut nemo à vobis ut istum
 absolutis per gratiam conetur contendere. Habet
 autem certam viam atque rationem, qua omnes il-
 lorum conatus inuestigare & consequi possim. Ita
 res à me agetur, ut in eorum consilijs omnibus, non
 modo aures hominum, sed etiam oculi Populi Ro-
 49 mani interesse videantur. Vos aliquot iam per an-
 nos conceptam huic ordini turpitudinem atque in-
 famiam delere ac tollere potestis. Constat inter om-
 nes, post hac constituta iudicia, quibus nunc vitimur,
 nullum hoc splendore, atque hac dignitate consilium
 fuisse. Hic si quid erit offensum, omnes homines non
 iam ex eodem ordine alios magis idoneos, quod fieri
 non potest, sed alium omnino ordinem ad res iudi-
 candas querendum arbitrantur. Quapropter pri-
 mum ab dijs immortalibus, quod sperare mihi videor,
 hoc idem iudices, peto, ut in hoc iudicio nemo impro-
 bus, prater eum, qui iam pridem inuentus est, repe-
 riatur. deinde si plures improbi fuerint. hoc vobis,
 hoc populo Rom. iudices, confirmo, vitam me hercule
 mihi prius, quam vim perseuerantiamque ad illorum
 51 improbitatem persequendam defuturam. Verum
 quod ego laboribus, periculis, inimicitijsque meis, tum;
 cum admissum erit, dedecus seuerè me persecutu-
 rum esse polliceor: id ne accidat, tu tua sapientia, au-
 thoritate, diligentia, M. Glabrio, potes providere. sus-
 cipe causam iudiciorum: suscipe causam seueritatis;
 integritatis, fidei, religionis: suscipe causam Senatus;
 ut is hoc iudicio probatus, cum Pop. Rom. & in lan-
 de, & in gratia esse possit. Cognosce qui sis, quo loco:
 quid

Epiro:
 50

quid dare Populo
 debet. Facit
 tem, qua lege
 fundis optimis
 est. Cuius aut
 ussi laudis dom
 commentant, se
 num aucto, gra
 Glabrio patri
 restitendum hom
 prudentiam ad p
 borum fama com
 tiam, ut ne quis
 dimonere, in el
 ne Hispano Praet
 magnitudinem
 suspirium cer
 hic certum est no
 nobis censuram
 pus adduci, ut S
 COSS. non mot
 uerfos artefess
 cent: ut homin
 Romani seueri
 turaque om
 tiam deploran
 Non finam po
 bu interpositi
 accusatio negli
 si. Non cam

LIBER II.

quid dare Populo Rom. quid reddere maioribus tuis
 debeas. Fac tibi paterna legis Acilia veniat in men-
 tem, qua lege populus Romanus de pecunijs repe-
 tundis optimis iudicijs seuerissimisq; iudicibus vsus
 est. * Circũstant te summae auctoritates, quae te obli-
 uisci laudis domesticæ nõ sinãt: quæ te dies noctesq; 52
 commoueant, fortissimum tibi patrem, sapientissi-
 mum auum, grauiissimum socerum fuisse. Quare si
 Glabrionis patris vim & acrimoniam cœperis ad
 resistendum hominibus audacissimis, si aui Sceuola
 prudentiam ad prospiciendas insidias, quæ tua atque
 horum fama comparantur, si soceri Scauri constan-
 tiam, vt ne quis te de vera & certa possit sententia
 dimouere, intelliget Pop. Ro integerrimo atque ho-
 nestissimo Pratore, delectoq; consilio nocenti reo
 magnitudinem pecuniæ plus habuisse momenti ad
 suspicionem criminis, quã ad rationem salutis. * Mi- 53
 hi certum est non cõmittere, vt in hac causa Prator
 nobis consiliumq; mutetur: nõ patiar rem in id tem-
 pus adduci, vt Siculi, quos adhuc serui designatorum
 COSS. non mouerunt, cum eos nouo exemplo vni-
 uersos arcesserent, eos tum lictores Consulum vo-
 cent: vt homines miseri, antea socij atq; amici Pop.
 Ro. nunc serui ac supplices, non modò suum, for-
 tunaq; omnes eorum imperio amittant, verume-
 tiam deplorandi iuris sui potestatem non habeant.
 * Non sinam profecto causa à me perorata XL. die- 54
 bus interpositis, tum nobis deniq; respondeant, cum
 accusatio nostra in obliuionem diuturnitate addu-
 cta sit. Non committam, vt tum res iudicetur, cum
 hac

